

hoc est, demoliuntur ficto et fucato pallore, f. ei suas aliqui ut videantur hominibus jejunantes: alii jejuniis, vigiliis, disciplinis, orationibus revera seipsos conficiunt: alii eleemosynis marsupium exhauriunt, ut vanam aucupentur gloriam. Rectissime ergo de his dicitur Isaia LIX. *Telas araneæ texuerunt.* Quemadmodum enim aranea ut vilissimas muscas capiat, rete textit et texendo semetipsam eviseerat, ac multoties circumit multoque labore fila sua appendit et annectit; denique in aere e tenui filo telam suam suspendit, unde levi vento dejicitur vel rumpitur: ita vanæ gloriæ aucupes seipsos laboribus exhauriunt, diu noctuque meditantur: nec tamen nisi in aere, hoc est, in ore et existimatione hominum ubi facile perit, venantur gloriam futilem et inanem quæ instar muscæ insulsi aliquid stridoris illorum auribus insonat.

VIII. Mendax et erronea. Ad instar enim crocodili fugientem sequitur, sequentem fugit. Unde S. Hieronymus, in vita S. Paulæ ait: *Fugiendo gloriam, gloriam Paula merebatur, quæ virtutem quasi umbra sequitur, et appetitores sui fugiens, sequitur contemptores.* Deinde, homines solent laudare sæpe eos, quos non debent, divites, potentes, nobiles, doctos, imo sæpe scurras, moriones, histriones, tyrannos, et sceleratos. Denique, multi *osculantur propria smanus,* sibi ipsis applaudendo ob virtutes, quas vel non habent, vel umbraticas tantum et politicas, non veras et solidas habent. Sane Babylonii illi graviter decepti et a Dianele irrisi sunt, qui draconem magnum pro Deo venerabantur, Dan. XIV. Hunc enim post dirupit Daniel, injecta in os illius massa picea, dixitque postea: *Ecce quem colebatis!* Atqui etiam nos sæpe in aliis colimus vel in nobis ipsis quæ minime colenda, imo abominanda et fœda sunt. Quid si dirumperemur et paterent in nobis corda nostra? Audiremus utique: *Ecce quem colebatis!*

IX. Iniqua est in Deum, cui suffuratur gloriam, de qua ipse dixit Isaia XLII. *Gloriam meam alteri non dabo.* Fructum operum suorum donat nobis Deus, gloriam sibi reservat. Hunc ordinem pervertit vana gloria, quæ una eum fructu rapit ei honorem. Deus agens principale operum nostrarum est, nos instrumenta sumus: ergo qui instrumento opus adscribit, artificii gloriam furatur. Mulier viro suo comere se debet, non alteri, alioquin adultera reputabitur: ita enim nos bene operari decet ut Deo animarum nostrarum sponso placeamus, non alteri vel nobis: habendi alioquin pro furibus et adulteris.

X. Noxia et damnosa. Spoliatur enim nos mercede operum nostrorum; deinde supplicis nos

subjicit atque ita bonum vertit in malum, gloriam in gehennam. Fumus est, qui escam alioquin gratam afflatu suo destruit et odibilem reddit: ærugo est, quæ ferrum depascit: fur est qui iter facienti se associat velut socius et interim clanculum eum despoliat, vel suffodit domum nobis dormientibus: tinea est quæ vestem ita demolitur, ut nulla ratione advertere queas. At nonne audimus monentem Dominum in hodierno evangelio, ibi thesaurizandum esse: *Ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt, nec furantur,* in cælo nimirum? Qui manna servarant in sabbatum, incorruptum repererunt et utile: qui in alios hebdomadæ et operarum dies, altero die corruptum et a vermibus exesum deprehenderunt, Exodi XVI. Eodem modo opera, quæ facis in hoc mundo ut eidem placeas, pereunt et a vermibus vanæ gloriæ devorantur: quæ autem facis ut reserves in requiem vitæ æternæ sana et salutaria deprehendes. Quam noxia hæc mercatura, vendere merces ubi unum alterumve nummum valent, et non vendere ibi, ubi ingentem auri summam valent! Hinc sancti et sapientes viri terrore correpti sunt cum audirent laudes suas, uti S. Augustin. qui serm. V. de verbis Domini ait: *Laudes vestræ gravant nos potius et in periculum mittunt. Toleramus illas et tremimus inter illas:* et S. Ignatius, qui dicebat: *Ut sanus sim in his, quæ ad Deum pertinent, vehementius tamen mihi verendum est et cavendum ab his, qui me temere inflant: laudantes enim me flagellant.* S. Hilarion videns hominum multitudinem se sequentem sibi ob miracula applaudentem, indoluit cum lacrymis, metuens ne in hac vita mercedem suam reciperet ex inani populi plausu; ut scribit Sanctus Hieronymus, in vita ejus.

XI. Sed quod ad extremum malo huic remedium? Imprimis antequam aspiciaris a vanæ gloriæ basilisco tu eum prior aspicio, expendendo ejus vanitatem, fragilitatem, fœditatem, damna, etc. quæ hic recensuimus. Cæcos tantum et improvidos inficit hæc bestia, non oculatos et prudentes. Deinde, quoad fieri potest, virtutes tuas occulta et occasiones captandæ gloriæ fuge. Ita enim suadet Dominus in hodierno evangelio, cum jejunantes jubet lavare faciem; et paulo supra, cum orantes intrare in cubiculum: ne videlicet videantur ab hominibus jejunantes vel orantes. Virgo domi clausa tutior est ab insidiis castitatis quam quæ foris vagatur. *Vestem pretiosam cum in publico ponimus, plurimos ad insidias provocamus: si vero domi recondamus, in tuto servabimus,* ait S. Chrysostomus, hom. III.

in Matth. Tertio, omnes actiones nostras mane ad Dei gloriam referamus. Ad Deum agonotheam nostrum aspiciamus, non ad circumstans vulgus; ab illo non ab isto præmium expectemus. « Non vides in equorum ludis (inquit S. Chrysostomus, hom. V. in Gen.) quomodo hi qui equos agitant, non advertunt plausum populi assidentis, nec voluptatem ex eo plausu capiunt, sed in unum regem in medio sedentem oculos intendunt ac ad nutum illius attendentes totam multitudinem despiciunt? Hos et tu imiteris, non magni faciendo hominum famam, sed sententiam judicis justis expectando atque ad nutum ejus omnia dirigendo. » Novit Deus, omnibus licet tacentibus, qualis unusquisque sit. Lysander dux Lacedæmoniorum cuidam jaectanti, quod ipsam et laudibus veheret et adversum obtrectantes defenderet: *Duo,* inquit, *michi sunt boves ruri: et tacentibus ambobus, tamen certo novi uter sit ignavus, uter ad laborem strenuus,* Plut. in Lacon. Idem tibi dici cogita a Deo, qui te novit et præmiabitur; etiamsi mundus taceat. Dic ergo inani gloriæ: Sero nimis venisti, Deo jam consecravi opera mea: vel cum S. Bernardo: *Propter te non cæpi, propter te non desinam.* Unge caput tuum, Christum: illi gloriam da. Quarto, nosce teipsum: quia pulvis es et in pulverem reverteris. Cum mare propter Jonam intumisset, interrogarunt eum nautæ: *Quod est opus tuum? Quæ terra tua et quo vadis?* Jo. I. Similiter cum incipit intumescere cor tuum, quære ex teipso: *Quod est opus tuum?* Si ad libellum divinæ justitiæ expendas, tuum non est, Dei potius est: vel si tuum est, culpa est et multis obnoxium defectibus: *Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Deinde: *Quæ terra tua?* Nonne pulvis et Adama seu terra rubra e qua formatus es? Denique quo vadis? Nonne in pulverem et sepulcrum? Respondit nautis Jonas: *Hebræus ego sum.* Et tu quid nisi Hebræus, id est, transiens, velut umbra scilicet: quid nisi peregrinus tendens ad mortem? Atque hoc velut præsentissimum vanæ gloriæ antidotum exhibet nobis hodie Ecclesia, dum capita nostra cinere aspergit, quasi dicens illud Ecclesiastici X. *Quid superbis terra et cinis?* et illud S. Bernardi, serm. XIII. in Cant. *Tibi, o homo, unde gloria? Putide pulvis, unde tibi?* Hoc est illud signum Thau (ultima Hebræorum littera, proinde mortem, ultimam rerum lineam tenentans) inscribendum frontibus virorum gementium Ezech. idque inscribit nobis Ecclesia cum fronti cinerem injicit, mortis memoriale. Hoc est quod monet Dominus: *Unge caput tuum,* cinere videlicet velut

pretioso unguento contra elationem. Denique: *Quoties difficile existimas,* inquit S. Chrysostomus, hom. II. in ep. ad Titum, *contemnere gloriam, ista tecum animo versa. Si hanc despexero, Deo æqualis, id est, similis efficiar, protinusque subitil contemptus gloriæ ex animo.*

CONCIO IV.

QUAM VERE HOMO SIT PULVIS.

I. Quia ex pulvere compositus. — II. Quia certo pulvis futurus. — III. Quia brevi pulvis futurus. — IV. Quia quotidie incineratur. — V. Quia pulveris habitaculum. — VI. Quia peccator pulvere vilior.

THEMA.

Pulvis es, et in pulverem reverteris. Gen. III.

Multorum litteris proditum est, tam sacrorum quam profanorum auctorum, in terra Sodomorum gigni poma ad speciem quidem pulchra, quæ tamen morsu pressuve tentata, in favillam resolvuntur et cinerem. Itaque mendaci superficialitatis homines decipiunt, et cum extra poma appareant virentia, intus nihil aliud sunt quam cinis, ut inter alios scribit S. Augustinus, l. II. de civit. cap. V. et VIII. Ad quid, auditores, ad quid fructum hunc produxit Deus, nisi ut in eo sese contempleretur homo veluti in speculo? Is enim externo quidem aspectu speciosus est et virens quandoque ad miraculum, at vero si intrinsecus inspicere eum possemus, profecto diceremus aliud non esse nisi pulverem, quemadmodum agnovit Abraham, qui nequaquam mentitus est, cum dixit Gen. XVIII. *Loquar ad Dominum cum sim pulvis et cinis.* Quod quidem inde patet, quia ubi mors dentes homini inficit, illico resolvitur in cinerem et favillam. Id tamen quia plurimi nolunt intelligere, mater noster Ecclesia disertis verbis occinit nobis hodie dicens: *Memento, homo, quia pulvis es et in pulverem reverteris.* Sed qua ratione, dicit aliquis, vocatur homo pulvis, cum non nisi post mortem pulvis sit futurus? Ad hanc questionem respondebimus in proposito.

I. Vocatur pulvis ratione materiæ, ex qua compositus est, terræ scilicet; unde homo ab humo, Adam ab Adama seu terra rubra appellatus. Ita enim vas testaceum, terra recte vocatur, quia ex terra formatum est, tametsi figuram alteram accipit per artificium. Hanc causam indicat Ecclesiasticus, c. XVII. inquit: *Deus creavit de terra hominem.* Ex quo in fine capituli hoc concludit: *Omnes homines terra et cinis.* Dicite quæso si princeps infimæ sortis puerum e stabulo vel

eculina sua abstraheret, litteris deinde ac moribus aulicis imbui curaret, denique in numero nobilium suorum nobiliter vestitum constitueret, postmodum vero ab eodem forte insolescente et refractario facto injuriis appeteretur aut despiceretur: nonne verissime et meritissime diceret ei: Quid tu vilis-ime tacula? Quid tu stabuli mancipium? Nescis forsitan quinam sis? Nonne me auctore de sordibus ad aulam prodiisti, et si vestes solum tibi detraxero, nonne idem eris, qui fuisti? Et hoc est quod rebelli Adamo insinuare voluit Deus cum dixit: *Quia pulvis es et in pulverem reverteris*. Samson quamdiu capillatus erat, omnium fortissimus, omnium pavor et tremor erat, at ubi rasus fuit caput ejus, factus est ut ceteri homines, debilis et enervis. Vide regem, principem, nobilem, divitem, hujusmodi Samsones sunt. Sed quam facile tonsor radit alicui capillos, tam facile per novaculam mortis decalvat illos Deus et deficiunt in cinerem sicut ceteri omnes, juxta id Ps. CIII. *Auferes spiritum eorum et deficient et in pulverem suum revertentur*. Quemadmodum enim vitrea vasa si de manu in terram cadant, mox in eadem fragmenta, in eosdem pulveres, unde conficta sunt, resolvuntur: ita etiam homo redit in suum pulverem, si vel ad momentum avertat Deus ab eo faciem suam. Qua in re par omnium conditio est, juvenum, senum, divitum, pauperum, regum, subditorum. Tam enim Veneta vitra fragilia sunt, quam vulgaria, imo magis. Isa. c. XLIV. ridet vesaniam gentilium, qui e trunco ligni, de cujus medietate coxerant sibi panes, sculptile effingunt et adorant illud: quasi imago idoli lignea melioris conditionis esset, quam ejusdem trunci medietas altera igne absumpta et in cinerem versa. Nihilominus rideri merentur, qui de corporis dotibus insolescunt, siquidem fratres sunt mortuorum, qui jam in cinerem redacti et eadem ex massa facti sola imaginis humanæ forma differunt ab illis: in reliquo per omnia mortuis simillimi, qui jacent illis stantibus. Unde S. Basilius hanc rem eleganter tractans, ho. III. in dictum Moysis: « Attende tibi, ait, qui luxu profusiore divitiarum insolescis, qui tibi mire places ob avitæ gentis claritudinem, qui immodico gaudio subsilis ob patriæ celebritatem, ob elegantiam decusque corporis, denique ob honores ab omni omnium gradu tibi exhibitos: attende tibi ipsi; mortalis enim tu, quippe terra es et in terram abibis et id cognosces, si quos præ te splendor consimilis et opum et dignitatum exornabat, hos tu mihi circumspicias diligenter; in horum sepulera parumper deflecte oculos: nonne omnia pulvis? Non sunt

in fabulam versa omnia? Memoria vitæ istorum, inquam, paucis ossibus retineatur? » Sic ille. Quare sicut Agathocles ille Syracusanus de figulo princeps factus semper adesse mensæ suæ vasa figulina voluit, et Lescus ille princeps crassos pannos, quibus olim indutus erat, crebro in conspectum suum produci; et Viligisus Moguntinus episcopus rotam pro insignibus suis constituit, rhedario patre genitus: ita quis nostrum cinerem sibi ante oculos ponere quotidie deberet, ut suæ conditionis memor neminem contemneret, nec superbe de se sentiret.

II. Ob eventus certitudinem; quomodo et prophetæ solent futura prædicere, quasi jam præterita essent, uti Isaias, cap. LIII. de Christi passione prophetans: *Vidimus eum et non erat aspectus: oblatum est quia voluit, etc.* Atqui hominem redigendum esse in cinerem immutabili Dei decreto constitutum est, idque ea verborum forma propositum, quasi eadem die, qua peccavit Adam, cum posteris moriturus esset: *In quacumque die comederis ex eo, morte morieris*. Ad eum scilicet modum, quo rei supplicio adjuicati per sententiam judicis, censentur jam mortis filii, quasi jam enecti. Quomodo etiam apostolus ad Rom. V. ait, mortem *una cum peccato in omnes homines pertransisse*; quia mors velut carnifex aut lictor ex Dei mandato comprehendit omnes ducitque sensim ad necem. Hinc fit ut tales rei, qui sententiam mortis jam exceperunt, quasi semimortui sint et præ angustia mortis quam semper ob oculos habent, sæpe nesciant quid loquantur, agant aut patiantur. Quando ergo tam certum est ut in pulverem redigendi simus, videmus opinor, quam recte pulvis appellemur; deinde quanto jure nos, si non jam mortuos, saltem semimortuos existimare debeamus, qui jam ad mortem abripimur lata in nos sententia. Ita enim apostolus: *Quotidie morior, fratres*, inquit, I. Cor. XV. idemque Christianis omnibus faciendum suasit S. Antonius, ut quotidie se morituros reputarent. Et S. Ambrosius in orat. de fide resurrect. *Sit quidam quotidianus usus in nobis affectusque moriendi*, q. d. quemadmodum ii, qui in hastiludio certaturi sunt, prius se multoties exercent; ita sæpe moriendum antequam moriamur, si bene volumus mori. Eo pertinet quod Job XI. Sophar ait: *Defossus* (Hebr. vertunt alii: *Cum te foderis*) *securus dormies*, q. d. si teipsum prius sepelias per mortis considerationem, antequam secliaris ab aliis, secure tandem morieris. Non sine causa videtur voluisse Deus Davidem in regem ungi in Hebron, quæ olim vocabatur Cariatharbe, hoc est, civitas quatuor, scilicet magnatum, Abraham, Isaac,

Jacob et Adam maximi; quia ibi sepulti fuerunt, ut habetur Jos. XIV. et Gen. XXIV. Voluit enim per hoc Davidem admonere ut a primo suæ unctionis die mortis semper memor esset, ne ad instar antecessoris sui Saulis in superbia extolleretur: utpote certissimo moriturus et quasi jar. in sepulero degens, quemadmodum et quatuor illi præstantissimi viri mortui ibique sepulti erant. Admonemur et nos hujus rei, dum baptismi undis immergimur (quod olim erat usitatum) vel perfundimur (ut nunc fit) *consepulti Christo per baptismum in mortem*, ut ait apostolus ad Rom. VI. quo nimirum ab ipso nostro baptismo sepulcri memores simus et quasi sepulti deinceps vivamus. Quod si fieret, o quam bene et quam placide morituri demum essemus!

III. Ob vitæ brevitate; quia mox videlicet cinis est futurus. Hac loquendi forma usus est Daniel de Balthasare, Dan. V. *Divisum est regnum tuum et datum est Medis et Persis*. Non solum quia divino decreto hostibus destinatum: sed etiam quia revera mox illi adimendum et hostibus tradendum erat, quod eadem nocte contigit; tametsi tunc, quando scripturam legit Daniel, nondum erat traditum. Hoc sensu cum videmus velocissimum canem cursu, vel accipitrem volatu, ita assecutum esse leporem, ut jam illi a tergo sit, ejusque cursum interverterit, dicere solemus, jam periisse leporem vel jam captum esse, quia mox capiendus sit. Hujusmodi autem perniciosissimus canis et accipiter est mors ab ipsa hominis nativitate in eum immissus; qui tam veloci cursu, quam gyrantur cœli vel quam ferretur avis, quæ spatio salutationis angelicæ septies universum terræ orbem volatu suo ambiret, imo adhuc velocius, perpetuo enim insequitur eique semper a tergo est; cursum vero intervertit, quoties morbo aliquo, quasi in pede, nondum tamen integre apprehensum, frangit et debilitat, uti agnovit Demonax, cui crura intumuerant; qui rogatus quid hoc mali esset? *Charon*, inquit, *me momordit*, Lycost. in apoph. Sed audiamus S. Job qui cap. IX. ait: *Dies mei velociores fuerunt cursore, fugerunt et non viderunt bonum: pertransierunt quasi naves poma portantes, sicut aquila volans ad escam*. Nihil in terra velocius venatico cane: nihil in aquis navi pomis onusta, quæ festinare debet, ne poma putrefiant antequam vaneant: nihil in aere aquila. His tamen omnibus velocius est tempus, quod mortem in tergo gerit. Nongentos quidem et triginta annos vixit Adam postquam audivit: *Pulvis es et in pulverem reverteris*; hoc tamen omne tempus coram Deo non repu-

tabatur unus dies; quia feste Divo Petro (post Davidem, Ps. LXXXIX. *Mille anni ante oculos tuos tamquam dies hesternæ*.) *Unus dies apud Dominum sicut mille anni, et mille anni sicut unus dies*, II. Pet. III. ita ut nequaquam falso dixerit Deus Adamo: *Quacumque die comederis, morte morieris*, quia non vixit omnino mille annis. Neque hoc solum ita reputatur apud Deum; sed etiam deprehendunt homines, ubi ætates suas transegerunt. Interroget unusquisque seipsum, quantum id, quod vixit, tempus æstimet: nemo non fatebitur videri sibi non fuisse nisi paucos dies, et quo suavius vixit, eo brevius fuisse. Narrat Nicephorus, I. XIV. c. XLV. Photius in bibliotheca aliique tempore Decianæ persecutionis, septem fratres declinandæ persecutionis gratia prope Ephesum in specum se recepisse, ibique ab irato Decio inclusos esse ut fame interirent: itaque ibidem usque ad tempora Theodosii imp. junioris, annis 191. (ut habet verior computus) dormivisse; qui tamen experrecti totum illud spatium unicam fuisse noctem arbitrabantur, miseruntque unum e numero suo in urbem cibos coemptum nummis, qui ob vetustatem nemini nosebantur. Et quid aliud nobis parebit vita nostra ubi ad vitæ terminum venerimus, nisi somnus unius noctis?

IV. Ob perpetuum mortis cum vita conflictum in uno quoque homine. Quamprimum enim incipimus vivere, incipimus et mori, quandoquidem calor natus continuo pabulatur humidum radicale, in que vitæ nostræ vis posita est: quod nunquam secundum eandem bonitatem seu æquivalentiam reparatur per cibum et potum. Hinc sensim irrepit corruptio et interitus, sicut vinum, cui sensim miscetur aqua, etsi illam in se convertat, efficitur tamen semper minus minusque efficax, ac nisi effundere desinas interit omnino et vinum esse desinit. Quare sicut phthisicus, cujus pulmonem sensim depascit tabes, non tam vivit quam paulatim moritur: et sicut vinum aqua mixtum, vocari aqua potest, et sicut domus incendio conflagrans recte incinerari dicitur; ita et homo dum vivit, mori. Quid enim exacta infantia, pueritia, adolescentia, juvenus, nisi partes vitæ nostræ demortuæ? Bene veteres poetæ eam colo assimularunt, cui tres præessent Parcæ. Nam quod in fuso, perfectum et convolutum est, præteritæ vitæ speciem habet; quod in digitis torquetur, momenti præsentis indicat decursum; quod nondum ex colo tractum et digitis subactum est, residuæ et consecuturæ vitæ figuram gerit. Quare sicut colus partim linum, partim stamen est; ita homo partim vivus, partim mortuus.

Hinc Alexis e gentiliura numero præ senio ægre lenteque incedens rogatus quid ageret? *Paulatim, inquit, morior*, Stob. ser. CXV.

V. Ob humani corporis sordes. Hoc enim quid est aliud quam cloaca cinerum et foetidissimarum rerum, in qua velut in loco immundo, quidquid reponitur, statim corrumpitur? Nulli fere in illo meatu, per quos non omnis generis sordes egerantur, quales etiam sunt aures, nares, os, ipsique oculi; ut homo non immerito vocari *sepulcrum dealbatum* possit. Hoc ethnicus ille Plotinus perpendens, nunquam passus est corporis sui effigiem depingi: satis esse sibi asserens, quod onus tam immundum tota sua vita circumferre cogere. Quare sicut Daniel Balthasari de idolo Beli, (quem is vivere credidit coluitque) dixit: *Ne erres, rex, iste est enim intrinsecus luteus et forinsecus æreus, neque comedit aliquando*, Dan. XIV. Ita hodie dicit tibi Ecclesia. Ne erres, homo, teipsum super alios extollendo; pulvis enim es et luteus intrinsecus. Ne erres in amandis vel colendis aliis plusquam decet, quia licet foris ærei vel aurei appareant, intus tamen lutei sunt, pulvis sunt.

VI. Denique, ob peccatum, quod hominem licet corpore sanum et speciosum, intus tamen exedit et in pulverem convertit (quo modo vermibus pomum, quod extra parietem integrum, sanum et rubicundum, intus tamen corrosum et in cinerem redactum est) denigrat et commaculat pulverisque similem, instabilem, levem et proclivem facit. Hinc enim Psalmo I. dicitur *impium tamquam pulvis, quem projicit ventus a facie terræ*. Ventus iste mors est, quæ ita tandem abripit e vita impios, ut nullum eorum appareat vestigium, sed cum suis opibus, pompis, voluptatibus pereant in æternum. Hanc ob causam blasphemus Sennacherib cum exercitu suo appellatur pulvis, Isai. XVI. *Finitus est pulvis: deficiet, qui conculcabat terram*. Ut enim pulvis levi venti flatu dissipatur; ita Sennacherib cum exercitu suo per unum angelum cæcus et exterminatus est una nocte, ac si scopis eversus vel a vento difflatus esset, IV. Reg. XIX. Vult ergo dicere Ecclesia: Vide, o peccator, in quam tetrum et levem pulverem peccando conversus sis: noli te foris contemplari, intus intueri, in animo considera; pulvis factus es, ibi te vermibus rodit et magis magisque levem et pronum ad graviora scelera reddit tandemque nisi respicias abripiet te ventus mors et projiciet a facie terræ, imo et a facie Dei in cloacam æternæ damnationis, quam a nobis avertat Deus.

CONCIO V.

QUID SIBI VELIT CINIS CAPITI ASPERSUS.

I. Admonet nos originis nostræ — II. Monet nos fragilitatis nostræ. — III. Hortatur ad poenitentiam. — IV. Hortatur ad peccatorum fugam. — V. Hortatur ad contemptum rerum terrenarum.

THEMA.

Pulvis es et in pulverem reverteris. Gen. III.

Perquam credibile est, quod vulgo fertur et refertur ab eruditissimo sanctæ Scripturæ interprete P. Cornelio Cornelii societatis Jesu, in cap. I. Thren. Turcarum legatum aliquando apud regem Galliæ Parisiis demoratum circa bacchanaliorum tempora; qui cum ad imperatorem suum rediisset, rogatus quid novarum rerum spectasset apud Christianos, vidisse se aiebat omnes Christianos toto triduo insanos, adeoque de potestate mentis dejectos per omnes urbium plateas undique circumcursasse: exacto vero triduo illo, omnes modico pulvere super capita eorum asperso ad se rediisse et sanam mentem recepisse. Serione an joco hæc ille quidem dixerit, nescio profecto: eum tamen a vero haud procul aberrasse reor. Si quis enim bacchanantium mores tridui peracti consideret, juxta communem appellationem non hominum, sed stultorum et insanorum esse dicet: si deinde hodiernam cinerum cæremoniam et Christianorum repentinam modestiam morumque compositionem aspiciat, fatebitur haud difficile omnes sibi restitutos, pulsaque stultitia resipuisse. Quam quidem metamorphosin non immerito tribuimus, sacris illis cineribus, qui hodierna die benedicuntur et in vertices nostros sparguntur. Hoc enim si, quid sibi velit, pensiculate contemplemur, sufficiunt vel soli ad stultitiam pellendam, et veram sapientiam homini comparandam. Nam si illa demum vera sapientia est, quæ omnes suas actiones ad finem suum ita dirigit, ut ab eo non dissentiant: profecto mortis memoria, cujus admonent nos cineres illi, quæque nos ad beatum vitæ finem præparat, veram continebit sapientiam. Quamobrem Plato ille philosophiam nihil aliud quam mortis meditationem esse voluit. Denique, Jeremiam Deus cælestem sapientiam docturus remisit ad domum figuli, Jerem. XVIII. *Descende in domum figuli, inquit, et ibi audies verba mea*. Vidit ergo propheta vas e luto fieri et mox iterum dissipari; indeque intellexit conditionem generis humani, cujus parens Adam ab Adama, hoc est, terra rubra dictus et factus est, in eandem

resolvendus. Hoc sapientissimum est gymnasium, ubi non dialecticis sophismatibus, sed evidentissimis demonstrationibus veram discere sapientiam possumus. Cinis inquam est cæmeterium, quo nos hodie remittit Ecclesia, dum capita fidelium cinere conspergit, ut rationis, quæ in capite residet, intelligentia disquiramus, quid sibi hic cinis velit, quod nunc exponemus.

I. Admonet nos originis nostræ ac vilitatis propriæ, quasi dicat nobis: Memento homo qui et unde sis? E pulvere et terra. Scrutantur multi veterum annales, ut majores suos, avos, abavos, atavos investigent, eorumque stemmata, insignia et nobilitatem probent; perquirunt etiam arces, sepulcrorum epigraphas, defunctorum clypeos, etc. sed parum aut nihil inveniunt. Nam ibi majores suos, quales olim tantum fuerint, non quales nunc sunt, deprehendunt. Annales, genealogiæ, aliaque monumenta instar speculorum concavorum sunt, quæ res objectas, inversim representant, quod supra est, infra; quod infra est, supra ponunt. Ita enim illa progenitorum quidem gloriam, opes, dignitates, titulos, officia, quæ jam infra terram et in pulverem conversa sunt, jactant et ostentant, quasi adhuc supersint: cinerem vero illorum, qui adhuc superest, infra terram ponunt, tegunt, obliviscuntur. Sepulera specula plana sunt, quæ rem ut est, majores quales revera sunt representant. Unde si vis videre originem stemmatis tui, aperi sepulturam: ibi enim primam materiam, ex qua formati omnes, pulverem reperies. Persuaserant regi Balthasar sacerdotes Bel, Belum deum esse, qui comederet cibos, ei apponi solitos. Sed advertens fraudem Daniel, jussit pavimentum templi cinere conspergi. Tum de nocte, more suo, ingressi sacerdotes, devorarunt cibos. Mane ergo ostendit Daniel regi vestigia sacerdotum, dicens: *Ecce pavimentum, animadvertite cujus vestigia sint hæc*, Dan. XIV. Hunc in modum aliqui persuadent proprio capiti, quasi ipsi dii quidam terrestres sint vel nescio quid supra alios homines; quia nimirum nobiles, generosi, illustres sunt, ideoque devorant alios se inferiores, subditos præsertim, quasi omnia eis licerent; sed dejiciant quæso oculos ad templorum pavimenta, aspiciant sepulera et cineres majorum suorum, tales paulo post futuri, animadvertant quorum vestigia sint hæc; nonne mortuorum? Nonne cinerum? Gloriosum animal pavo est, flabellum suum expandens et modo ex illa parte contuens seque in eo quasi demirans: verum ubi in pedes, quos atros et turpes habet, oculos demittit, dicitur pennas suas illico colligere rotamque

dissolvere, non sine stridore et gemitu, ut præter experientiam scribit Anglicus, l. XII. propriæ. cap. XXXI. quasi magis erubescat de pedum foeditate, quam insolescat de pennarum elegantia. Itaque avis obliviscitur suæ pulchritudinis dum conspicit in se aliquid deformæ: eecur igitur homo non potius attendit ad cinerem e quo constat et in quem brevi desinet, quam ad externos alios splendores sibi agglutinatos, quibus brevi spoliabitur? Scribant aliqui (Jo. Gritsch. in quad.) Alexandro Magno missum aliquando fuisse a viro sapiente lapidem pretiosum cum hoc monito: Ne extolleretur ob tot partas bello victorias: siquidem lapidi illi similis esset, qui talis sit naturæ, ut cæteroque gravis valde, injectu modici pulveris levissimus fiat. Monitum hoc quam verum esset, expertus saltem est, quando *decidit in lectum et cognovit, quia moreretur*, ut dicitur I. Macchab. I. Utinam nos tempestivius hoc ipsum cognoscamus! Certe Ecclesia in hunc finem injicit nobis cinerem, ut vilitatis nostræ memores, fastum deponamus.

II. Admonet nos fragilitatis nostræ. Quid enim cinis nisi reliquiæ incendii: et quid vita nostra, nisi incendium quoddam, in quo calor naturalis quotidie, imo omni momento depascit humidum, ut vocant, radiale, corpori insitum, adeoque corpus quoque ob pugnam contrariarum qualitatum, quæ in dies frangunt et paulatim corrumpunt hominem, quo modo ignis, lignum aut oleum in lampade? Hinc non absurde quidam dixit hominem esse quid compositum ex ligno et igne. Id enim confirmat Sapiens, Sap. II. in persona impiorum loquens: *Fumus flatus est in naribus nostris: et sermo scintilla ad commovendum cor nostrum, quæ extincta cinis erit corpus nostrum, etc.* Ubi fumus, ibi ignis et incendium aliquid: ubi incendium, ibi pulsus campanæ tumultuariæ ad convocandum populum restinguendo incendio. Atqui fumum dum spiramus, continuo efflamus ex ore et naribus nostris, incendium ergo prodit. Deinde, pulsus cordis nostri, quid nisi campana tumultuaria et sermo scintillæ seu vox incendii admonens nos periculi nostri, ne tardemus surgere et occurrere huic incendio? Verum ex hoc impii pessime inferunt ibi: *Venite ergo, fruamur bonis: vino pretioso et unguento nos impleamus: coronemus nos rosis antequam marcescant, etc.* Ut enim stulte et perverse ageret, qui flagrante domo sua diceret: Venite socii, instruamus convivium, paremus mensam, instituamus choreas, etc. antequam nos cum omni nostra suppellectile et substantia depascat hoc incendium; ita omnino stulte argumentan-